

A

16005

---

---

xx.

---

GENERIS NOBILITATE,  
ORTHODOXAE PIETATIS,  
PRVDENTIAE, VIRTVTIS, AC  
doctrinae laude praestantissimis,  
Clarissimisq; viris,

Dn. OTTONI à GRVNRAD, Consiliario Palatino.  
Dn. MARCO ZVM LAMB I.V.D.  
Dn. STEPHANO BECHELIO, M.  
Dn. IACOBO KIMEDONCIO, SS. Theol. D.  
Dn. MELCHIORI ANGERO, Concionatori Aulico.  
Dn. DAVIDI PAREO, SS. Theolog. D. & Collegij  
Sapientiae Inspectori.

Senatoribus Ecclesiasticis in Palatinatu dignissimis,  
Dominis & Patronis suis apprime colendis.

Hoc EXEGEMA PHILOSOPHICVM  
Testificanda debita obseruantia gratia.  
D.D.D.

M. Clemens Timplerus,  
Regens in Collegio  
Casimiriano.

THEO-

THEOREMA PRIMVM

De Vnionē Animae rationalis cum cor-  
pore Organico.

I.

MAGNUM est & admirandum DEI & naturae opus in ho-  
mine, Vnio animae rationalis cum corpore organico.

II.

Illā enim non est contactus quidam physicus corporalis  
& localis, qualis est inter vas & aquam vase contentam, inter  
nauim & nauim regentem nauim: neque mixtio duarum  
substātiarum, qualis est aquae & mellis in mulso, hordei & lu-  
puli in cereuisia: neque accidentis cum subiecto compositio,  
qualis est caloris cum igne: lucis cum sole: luminis cum aere.

III.

Sed potius est copulatio substantiae spiritualis & corporeae  
in homine, facta mediante calido & humido natiuo, sine vlla  
aut essentiae vtriusque immutatione & exauratione, aut pro-  
prietatum inter se confusione & communicatione reali, ad  
constituendum compositum, ab his formaliter distinctum.

IV.

Est enim anima rationalis, quae absolute in se considerata  
definitur, quod sit spiritus incorporeus intelligens, immorta-  
lis, seorsum extra suum corpus organicum subsistere potis,  
nihil aliud physicè loquedo, quam actus primus, hoc est, for-  
ma specifica hominis quatenus est homo. a

V.

Materia verò proxima est corpus organicum, ex maris &  
foeminae semine in utero materno efformatum, varioque in-  
strumentorum apparatu, quae homini ad edendas vitales o-  
perationes sunt necessaria, ab ipsa natura instructum b.

VI.

Et haec duae substantiae, vna spiritualis, altera corporea, ita  
sunt in homine vnitae, vt anima maneat anima, & corpus ma-  
neat corpus: neque aut illa in hoc, neque hoc in illam conuer-  
tatur c.

VII.

Similiter vtraque retineat suas proprietates: neque propter

A 2

*Divina attributa* vnionem aut anima corpori, aut corpus animæ realiter eas communicet.

*cap. i. p. liij. & liij. Damasc. ibid.*

VIII.

Nam quemadmodum ante vnionem anima rationalis est spiritualis, incorporea, inuisibilis, impartibilis, intelligens, immortalis, loco incircumscrip̄ta: Corpus verò crassum, materiatum, visibile, partibile, expers intelligentiæ & vitæ: loco circumscrip̄tum: ita etiam post vnionem talis manet anima, & tale manet corpus: neque vllō modo vnio vtriusque efficit vt anima participet proprietates corporis, aut corpus animæ.

IX.

Neque obstat, quod quidam acriter defendunt, animam rationalem vitam suam & intelligentiam realiter communicare corpori humano, cum quo est vnita.

X.

Illud enim omninò falsum est, & cum his duobus principiis philosophicis pugnat: Nullum accidens potest migrare de suo subiecto in aliud. Item impossibile est, vnum numero accidens posse esse in diuersis numero subiectis. De quibus infra in tertio capite disputationis nostræ dicturi sumus.

XI.

Ac licet negari non possit, animam rationalem *κοινωνῆς* communicare homini vim viuendi & intelligendi: non secus ac *Devs* dicitur suam bonitatem creaturis: Sol lucem suam aeri communicare: quando aliam bonitatem & lucem tanquam simulachrum suæ efficit & producit.

XII.

*Aristoteles lib. de anima. ca. 114.* Tamen illa facultas viuendi & intelligendi non inest corpori organico tanquam subiecto, sed homini composito ex corpore & anima: adeoque etiam realiter & essentialiter differt à facultate intelligendi & viuendi, quæ immediate animæ à *Deo* tributa inhaeret.

XIII.

*Plato in Timæo.* Verùm cum secundum Platonem *δύο μὲν ἐστὶν αἰθερῶν χάρις τρίτη δὲ δυνάμει. Δεσμὸν γὰρ ἐν μέσῳ δεῖ τινὰ ἀμφοῖν ἕνωσασθαι ζῆναι:* videndum est quodnam à natura constitutum sit vinculum intermedium vnionis, quo anima cum corpore coheret.

Illud

XIV.

Illud ex sententiâ Aristotelis est calidum natiuum in iustâ proportione cum humido radicali temperatum. *a*

XV.

Quorum prius ambitu suo comprehendit partim Calorem vitalem qui est qualitas patibilis in corde ac spiritu vitali principalem sedem habens, à virtute cæli producta: partim Spiritum vitalem qui est halitus subtilis & calidus in corde ex sanguine purissimo, ope caloris generatus, & per arterias in vniuersum corpus ad fouenda membra & operationibus vitæ exercendis idonea reddenda deriuatus. *b*

XVI.

Posterius est humor à femine primò ortus, auctus vero postea & instauratus per humidum alimētarium, vt sit pabulum calidi natiui. *c*

XVII.

Quam diu enim hæc duo, calidum & humidum natiuum *ἑνσυμμέτρος* sunt contemperata, tam diu naturaliter loquendo durat vnio animæ & corporis: Et quò melior ac perfectior est vtriusque temperatura, eò etiam diutius durat vnio.

XVIII.

Quam primùm vero aut calidum natiuum est extinctū, aut humidum radicale consumptum, statim vnionem naturaliter oportet dissolui.

XIX.

Vnde etiã Philosophus ait causam naturalem principalem *μακροβιότητος* esse bonum, & *βραχυβιότητος* esse malum calidi natiui temperamentum.

XX.

Et addit tunc calidum & humidum natiuum benè esse temperata, quādo *κατὰ τὸ ποσὸν καὶ τὸ ποιόν*, neq; in excessu, neque in defectu peccant, hoc est, quādo calidum neque tam copiosum est, vt citò absumat humidum neque tam paucum, vt faciliè ab humido refrigeretur: Similiter humidum neque tam paucum est, vt citò à calido exiccetur, neque tam copiosum, vt calidum citò refrigeret & extinguat, neque tam aquosum

A 3

*a Li de Vita & morte cap. 19. lib. de Respiratione. ca. 114. Lib. de longitudine & breuitate Vita cap. 11. b Aristotel. lib. 19. de P. A. cap. 7. lib. 4. de generatione. Anim. cap. 19. c Zabarell. li. de Calo. Cælesti. 4. Zabarella lib. de Accret. & Nutrit. cap. 114.*

*Lib. de long. & breuit. Vita. cap. 11.*

toti Christo conueniunt, quæ naturis attribui non possunt, vt esse mediator, sacerdotem, &c.

9 Sicut anima rationalis multa præclara effecta in homine producit, vt est facultas viuendi, intelligendi, volendi: ita diuina natura λόγου multis & variis donis paraphysicis & hyperphysicis naturam humanam, cum qua est vnita, cumulat & exornauit.

10 Sicut in homine distinctæ semper sunt animæ & corporis operationes, ita vt neque anima id agat, quod corporis est proprium, neque corpus quod animæ: Interim tamen vtraque substantia suam propriam energiam confert ad vnum commune apotelesma seu effectum hominis producendum; ita etiã in Christo distinctæ semper manent diuinæ & humanæ Naturæ operationes, ita vt neque diuina id agat quod humanæ, neque humana id quod diuinæ est proprium: interim tamen vtraque natura suam propriam actionem confert ad absoluendum apotelesma personale.

XXVII.

Diffimilitudo vero in quinque potissimum capitibus consistit.

1 Anima Rationalis & corpus organicum sunt duæ substantiæ finitæ, quæ non possunt simul & semel actu esse nisi in vno numero loco. Diuina verò Natura λόγου est infinita, humana finita. Ideoque sicut hæc propter finitatem suam non est neque potest esse simul & semel actu, nisi in vno numero loco: ita illa propter infinitatem suam potest esse, adeoque etiam reuera est vbique.

2 Anima & corpus habent se ad hominem tanquam forma & materia ad compositum seu vt partes essentielles ad totum essentialiter. Diuina verò & humana natura non ita sese habent ad naturam christi.

3 Anima non est creatrix seu formatrix corporis cum quo est vnita. Deitas vero λόγου est creatrix seu formatrix humanæ naturæ, cum qua est vnita.

4 Anima dum est in corpore, nihil extra corpus operatur: Deitas vero λόγου & in humana natura, & extra eam virtute sua infinita operatur.

5 Anima rationalis, extincto toto calido natiuo, tandem localiter à corpore organico separatur. Diuina autem natura

tura

λόγου ex decreto immutabili Dei nunquam & nusquam ab humana separatur. Licet enim in morte Christi facta fuerit separatio localis animæ à corpore: tamen quia semper vnita fuit Diuina natura cum anima in Paradiso existente, & cum corpore in sepulchro iacente: idcirco materialiter, id est, respectu partium nunquam ab humana natura separatam fuisse credimus.

Damasc.  
lib. vii. Or-  
thodox. fi-  
des. c. 27.

THEOREMA SECVNDVM

De localitate cuiusq; substantiæ creatæ.

I.

Diuina sunt intimæ proprietates entis quatenus ens est. Vna dicitur localitas, quæ soli & omni substantiæ creatæ competit: Altera illocalitas seu vbiquitas, quæ vni soli Deo creatori conuenit.

Scaliger  
de subtilit.  
exercit. 1.  
distinct. 6.  
Thomas in  
1. parte 8.  
7. Q. 8. art.  
4.

II.

De priore nos hoc loco potissimum agemus sumtis fundamentis ex intimo veræ ac natiuæ philosophiæ meditullio.

III.

Ac subiectum quidem localitatis adæquatum est substantia creatæ: siue sit corporea siue incorporea.

Ambrosius  
in lib. i. de  
S. S. cap. 7.

IV.

Causa efficiens proxima Localitatis est finitudo, sicut vbiquitatis est infinitudo.

V.

Itaque definitur localitas in genere accepta, quod sit existentia substantiæ creatæ in loco propter finitatem suam.

VI.

Locus verò communiter sumtus describitur esse id, in quo substantia creatæ propter finitatem suam existit aut operatur. Et diuiditur in hyperphysicum & physicum, seu vt Damascenus, loquitur, in νοητόν & σωματικόν.

lib. i. Or-  
thodox. fi-  
des. ca. xvi.

ibidem.  
Thomas in  
parte 1. S.  
7. Q. 11.

VII.

Hyperphysicus est locus in quo substantia incorporea definitiue: i. sine spatij localis occupatione & alterius substantiæ cessione existit: ita vt extra illum non sit: ex operatione verò saltem ibi esse cognoscatur. Et hoc modo tantum Angeli & animæ dicuntur esse in loco.

artic. 1.

Zanchius  
lib. 1. de O-  
perib. Dei  
c. 111. pag.  
ccxlii.

B

## VIII.

Physicus est locus in quo substantia corporea cum certa spatij occupatione existit, isque rursus vel est communis vel proprius.

*Aristo. lib. 4. Phys. cap. 11.*

## IX.

Communis est spatium, in quo multa corpora simul continentur. Sic aqua vulgò dicitur locus communis piscium, aer auium; terra hominum.

## X.

Proprius secundum Aristotelem est τὸ τῷ περιεχομένῳ πλάττειν ἀκίνητον πρῶτον, id est, terminus corporis continentis immobilis primò. Cuius definitionis sensus est, quod locus proprius physicus sit superficies concava corporis locantis, immèdiatè superficiem corporis locati tangens, ita ut nisi moto locante non moueatur.

*lib. 4. Phys. cap. 4.*

## XI.

Sed hæc definitio Philosophi multis & magnis dubitationum & difficultatum nodis est intricata, cum ratione generis, tum ratione differentiarum. Ideoque in schola Peripateticorum à multis non approbatur.

*Scaliger de Subst. exercit. 5. distinct. 3.*

## XII.

Si enim locus physicus & quidem proprius, esset superficies concava corporis continentis, sequentur inde hæc absurda.

1 Vnum & idem numero corpus naturale immotum manens, posse esse in pluribus & numero diuersis locis propriis. Nam, exempli gratia, Superficies aquæ circumdantis palum in fluuio infixum, subinde mutatur, ipso palo immoto manente. Item superficies aeris circumstantis truncum arboris, subinde mutatur flante vento, ipso immoto manente. Ergò quia plures & diuersæ numero superficies aquæ & aeris ambiunt palum & truncum arboris, necessariò alterutrum horum statuendum est, aut illos localiter non motos in pluribus & numero diuersis locis fuisse, aut locum proprium non esse superficiem.

2 Locum non esse æquatum locato. Quia locatum est longum, latum, & profundum. Superficies autem licet sit longa & lata, tamen non est profunda.

Corpus

3 Corpus naturale tantum esse in loco respectu suæ superficialitatis; non autem respectu profunditatis.

## XIII.

Præterea esse ἀκίνητον πρῶτον, est communis differentia cuiusque accidentis. Omne enim accidens per se & primò est immobile; & mouetur tantum per accidens, & secundariò, respectu subiecti, in quo inest. Non ergo potest esse vera & essentialis differentia loci.

## XIV.

Melior igitur & perfectior erit definitio loci physici proprii, si dicatur spatium à corpore occupatum cum externa ipsius per alterius corporis immediatè ambientis superficiem circumscriptione.

*Scaliger de Subst. exerc. 5. distinct. 10. § 14.*

## XV.

Illam enim non tantum euitat difficultates, quæ contrà definitionem Aristotelis afferri possunt; sed etiam naturam loci physici proprii optimè declarat, docens corpus tenuius semper cedere crassiori, & hoc cedentis illius spatium locale occupare. Exempli gratia, aerem cedere homini ambulanti; & aquam lapidi in fluuium iniecto, atque ita eodem tempore, in aëris & aquæ cedentis spatium, quod longum, latum, & profundum est, succedere hominem & lapidem, non vacuum detur, à quo natura abhorret.

## XVI.

Neque obstat, quòd quidam primum mobile, & corpora beatorum in cælo Empyræo, obiciunt, iisque negant competere eiusmodi locum physicum. Nam primum falsum est quod supra primum mobile non detur aliud corpus: siquidem ibi est cælum Empyræum, quod in scriptura modò supremum habitaculum DEI, modò ciuitas fundamenta habens, cuius artifex & conditor est DEVS, appellatur. Deinde negari non potest, sine absurditate, corpora beatorum certum spatium in cælo Empyræo occupare, adeoque ab eius superficie, si non totaliter, saltem aliquo modo, circumdari.

## XVII.

Cæterum cognita natura loci & localitatis, enodandæ iam restant grauissimæ aliquot quæstiones: de quibus his postremis seculis in schola Philosophorum & Theologorum quorundam disputari solet.

B 2

Prima quaestio est de *παρομοσία*, utrum vlla substantia creata siue corporea siue incorporea, sit aut possit esse vbique, necne?

## XIX.

In hac sententiam vniuersalem negantem, suffragante totius Antiquitatis consensu, defendimus: sicuti his rationibus.

1 Quicquid est vbique, illud est infinitum. Est enim infinitudo causa efficiens proxima vbiquitatis: Et ab effectu ad causam necessaria est consequentia. Iam autem nulla substantia creata est infinita, siue essentiam ipsius, siue virtutem, siue magnitudinem spectes. Sequitur ergo quod nulla substantia creata sit vbique. Aut si quaedam est vbique erit infinita: quod est absurdum. Quia praeter vnum infinitum, quod est *DEVS*, plura infinita in mundo esse non possunt.

2 Quicquid est vbique, illud replet sua essentia totum mundum, & omnia quae in eo sunt. Atqui nulla substantia creata replet sua essentia totum mundum & omnia quae in eo sunt. Ergo nulla substantia creata est vbique. Aut si quaedam est vbique, replebit sua essentia mundum & omnia quae in eo sunt: quod est absurdum.

3 Quicquid finitum est, & propter finitatem suam locale, illud non est vbique. Atqui omnis substantia creata est finita & propter finitatem suam localis. Ergo nulla substantia creata est vbique. Aut si quaedam est vbique, non erit sua essentia & virtute finita; neque finitudo erit causa efficiens proxima localitatis: quod est absurdum, & tollit discrimen inter creatorem & creaturam.

## XX.

Altera quaestio est de *πολυτοπία*, utrum vlla substantia creata sit, aut possit simul & semel actu esse in duobus aut pluribus locis necne?

## XXI.

In hac Veritas militat pro thesi vniuersali negante contra affirmantem propter sequentium rationum momenta.

1 Quicquid aut suae essentiae aut alieni corporis terminis circumscriptum & finitum est illud non potest simul & semel actu esse in duobus aut pluribus locis. Atqui omnis substantia creata aut suae essentiae aut alieni corporis terminis est circumscripta & finita. Vnde etiam Ambrosius inquit:

Omnis

*Zinchiu*  
*lib. 11. de*  
*D. A. cap. 3.*  
*p. 94.*  
*Thomas in*  
*parte 1. S.*  
*7. Q. 7*  
*art. 11.*  
*Arist. lib.*  
*111. Phys.*  
*cap. 3.*

*Scaliger*  
*de subtilit.*  
*exerc. 5.*  
*distin. 6.*  
*Thomas in*  
*parte 1. S.*  
*7. Q. 50. ar.*  
*111.*

Omnis creatura certis suae naturae limitibus est circumscripta, nec creatura dicenda est, quae non habet circumscriptam determinatamque substantiam & virtutem. Ergo nulla substantia creata potest simul & semel actu esse in duobus aut pluribus locis. Aut si quaedam potest esse, sequitur, quod neque suae essentiae, neque alieni corporis terminis sit circumscripta & finita: quod est absurdum, & tollit discrimen inter creaturam & Deum creatorem, qui solus neque suae essentiae neque alterius substantiae terminis circumscribitur, & propterea est vbique:

2 Si quaedam substantia creata potest esse *πολύτοπος*, illa vel erit incorporea vel corporea. *a* Sed incorporea esse non potest. Quia illa suae essentiae terminis finitur: ideoque licet spatium locale non occupet, tamen *b* propter finitatem suam, quamdiu est in vno numero loco, tamdiu impossibile est, illam simul actu extra illum alibi in aliis & diuersis numero locis existere vel operari: ut patet ex exemplo animae & angeli. Illa enim quam diu est in corpore tanquam in suo domicilio, tam diu alibi extra illud corpus; realiter neque existit neque operatur. *c* Hic verò quamdiu est in terra, tamdiu in caelo Empyreo neque existit neque operatur. Quod si igitur substantia incorporea non potest esse *πολύτοπος*, multò minus hoc ad iunctum poterit substantiae corporeae seu corpori alicui naturali attribui. *d* Illud enim non tantum suae essentiae & magnitudinis terminis finitur, sed etiam alieni corporis terminis est circumscriptum. Ideoque si statueretur simul & semel actu posse esse in duobus aut pluribus locis, tunc necessariò sequeretur illud vnum numero existens posse simul & semel actu à diuersis numero superficiebus corporum ambientium immediatè circumscribi: Et per consequens totum simul & semel actu intra vnam numero superficiem corporis continentis, & totum extra illam existere: *e* quod pugnat cum natura corporis naturalis & sine contradictionis implicatione dici non potest.

3 Si substantia aliqua creata simul & semel actu est in duobus aut pluribus locis, tunc eò vèrit vel per motum localem, vel ibi est generata aut creata. Sed per motum localem eò venire non potest. Quia quicquid mouetur localiter, id deserit vnum locum ut acquirat alium: seu illud ab vno numero

*Li. de S.*  
*S. cap. 7.*

*Damaſc.*  
*lib. 1. ortho*  
*dox. fidei*  
*c. 28. &*  
*xviii.*

*a Thom. in*  
*parte 1. S.*

*T. & lii.*

*Art. 11.*

*b Aristoteles*

*lib. 3.*

*Phys. c. x.*

*το πάρε-*

*ρασμενον*

*ἀδύνατον*

*ἔχει ἀ-*

*πειρον δύ-*

*ναμιν.*

*c Damaſc.*

*i. orthod. fi*

*dei c. xviii.*

*lib. 11. c. 19.*

*d Thom. in*

*parte 1. S.*

*7. 9. 7. Ar.*

*111.*

*Aristoteles*

*lib. 3. Phys.*

*cap. 5.*

*e Thom. in*

*i. parte S.*

*T. 9. 8. art.*

*111.*

4 Idem testatur Aristoteles, qui in libris suis Physicis  
*Libro iiii. vbi que locorum asserit, αδυνατον ειναι δυο σωματα εν τω αυτω το-*  
*φωσ. α. κ. ρ. τω ειναι. Cui astipulatur etiam Thomas in summa Theo-*  
*ca. i. s. 6. 8. logica, vbi non tantum negat diuersa corpora posse esse, in*  
*Lib. i. de or eodem loco: sed idem etiam de diuersis angelis impossibile*  
*su & in- ser. cap. 5. esse pronunciat.*

XXVI.

Neque est cur quis obiciat aut exhalationes corporeas,  
*Lib. ii. de anima c. 7. que e terra & aqua per aerem ascendunt, aut corpus Christi,*  
*par. s. q. 78. quod quidam per saxum sepulchri penetrasse, & per ianuas*  
*ar. 4. q. iiii. clausas intrasse ad discipulos contendunt. Nam primum aer*  
*art. ii. tanquam corpus tenue semper cedit halitibus sursum ascen-*  
*dentibus, & illi aeris cedentis spatium locale semper occu-*  
*pant. Deinde falsum est, & nullo scripturae testimonio proba-*  
*ri potest, quod Christus corpore suo aut saxum sepulchri aut*  
*ianuas clausas penetraverit. Ideoque a nobis eadem facilita-*  
*te reiicitur, qua profertur.*

XXVII.

Quarta quaestio est, vtrum corpus naturale possit esse ali-  
cubi sine spatij localis occupatione?

XXIX.

In hac sententiam vniuersalem negantem tuemur, innixi  
his rationum firmamentis.

*Zabarella  
lib. i. de pri  
ma rerum  
materia c.  
xvi.*

1 Quicquid suis dimensionibus constat, & semper par-  
tem habet extra partem, illud alicubi esse non potest, sine spa-  
tij localis occupatione. Atqui omne corpus suis dimensio-  
nibus constat, & semper partem habet extra partem. Ergo  
nullum corpus naturale alicubi potest esse sine spatij localis  
occupatione. Maioris ratio est, quia magnitudo & locus phy-  
sicus semper inseparabili nexu coherent, aded vt huius exten-  
sio ab illius extensione pendeat: Et quod maius est corpus, ed  
maiolem occupat locum, & quo minus, ed minorem.

*Lib. 4. di-  
st. x. q. iiii.*

Et propterea etiam Durandus statuit in Eucharistia substan-  
tiam corporis Christi esse absque magnitudine. Quia puta-  
uit de essentia magnitudinis esse occupare locum: neque fieri  
posse, vt corpus trium cubitorum sub dimensionibus frustu-  
li panis vnius digiti contineatur: sicut etiam Aristoteles testa-  
tur in physicis, quando inquit. αδυνατον ζων η φυτον επι κλικουδ

*Lib. i. φυσ.  
α. κ. ρ. cap.  
iiii.*

*ειναι κατα το μεγεθος και σμικροτητα.*

Si

2 Si quoddam corpus naturale potest alicubi esse, sine  
spatij specialis occupatione, sequitur, illud non esse quantum,  
neque partem extra partem habere. Sed consequens est ab-  
surdum: quia essentialis proprietates corporis naturalis est, esse  
quantum, & habere partem extra partem, ita vt quicquid ex-  
pers est quantitatis, neque certum situm partium habet, cor-  
pus naturale dici non possit. Vnde etiam Philosophus inquit:  
*Libro i. de αδυνατον μεγεθος ελθνειναι χαριστην. Item, των φυσει συνεστων περας*  
*εσι η ληθη μεγεθος η αυηθησεως. Sequitur ergo absurdam esse*  
*hypothesin, ex qua tam absurdum consequens infertur.*

*Zabarella  
lib. ij. de  
M. P. c. 16.*

*Libro i. de  
Ortu. ca. 5.  
Libro ij. de  
anima. ca.  
iij.*

3 Idem testatur Augustinus quando ait: Spatia locorum  
tolle corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt,  
nec erunt.

XXIX.

Vltima quaestio est, Vtrum longinquitas & propinquitas  
loci, sit vera & proxima causa absentiae vel praesentiae?

XXX.

In hac rursus defendimus sententiam negantem, his ra-  
tionibus.

1 Quodcumque immediatè pendet à communicatione  
& *ακοινωνσιζ* rei illius causa vera & proxima non est propin-  
quitas, vel longinquitas loci.

Atqui praesentia vel absentia immediatè pendet à commu-  
nicatione & *ακοινωνσιζ* rei. Ergo praesentiae vel absentiae  
causa vera & proxima non est propinquitas vel longinquitas  
loci. Minor probatur. Quia tunc aliquid dicitur praesens, p  
quando se communicat vel sensibus nostris externis, vel in-  
ternis. Exempli gratia, Concionator in templo, Professor in  
auditorio, tunc dicitur praesens esse auditoribus, quando se  
istis videndum & audiendum exhibet. Absens vero tunc ali-  
quid dicitur, quando se non communicat sensibus nostris vel  
externis vel internis. Vnde etiam Augustinus inquit, Ea no-  
bis esse praesentia, quae sunt praesensibus nostris, siue exterio-  
ribus, siue interioribus.

*Zanchius  
lib. ij. de D.  
A. cap. 6.  
p. 81.*

2 Si propinquitas loci immediatè efficit, vt res aliqua  
nobis sit praesens; & longinquitas, vt sit abiens: sequitur Lunā  
nobis semper praesentiolem esse, quam Solem; & Solem ab-  
sentiolem quam Lunā: quia Luna semper propinquior ter-  
ra, quam Soli: Et hic semper remotior à terra, quam Luna.

C

Sed consequens est falsum & contra communem loquendi morem. Quia interdum cum sol lucet, Lunam absentem, & solem præsentem dicimus. Ergo falsum etiam est antecedens.

XXXI.

Ac proinde errant ij, qui nihil putant esse verè præsens, nisi localiter sit propinquum.

*T H E O R E M A T E R T I V M*

*De inhaerentia accidentis in subiecto.*

I.

**G**RAVISIMÆ semper agitatae sunt quaestiones in schola Philosophorum de inhaerentia accidentis in subiecto, quæ quoniam ob sui ignorantiam maximis sæpè erroribus animos hominum implicare solent dignæ omnino vixæ sunt, quæ hoc loco breuiter à me explicentur.

*Zabarella  
lib. ii. de  
primæ rerū  
materia  
cap. xvi.*

II.

Prima quaestio est, utrum vllum accidens possit absque subiecto inhaerentia subsistere?

III.

In hac quaestione propugnandam suscipimus thesin vniuersalem negantem, freti hac rationum armatura.

I. Quicquid absque subiecto inhaerentia subsistit, illud est substantia. Atqui nullum accidens est substantia. Ergo nullum accidens absque subiecto inhaerentia subsistit. Maior probatur, primum à diuisione immediata & inuitabili Entium, tradita ab Archyta Tarentino in libro *περὶ τῶν καθολικῶν λόγων δέκα*, vbi inquit, Omne Ens vel esse in subiecto, vt accidens, vel non esse in subiecto, vt substantiam. Deinde à definitione essentiali substantia, quam ibidem tradit, Substantia est ens per se, h. e. absque subiecto inhaerentia subsistens.

2. De cuius essentia est, in subiecto inhaerentia subsistere, id absque subiecto inhaerentia subsistere non potest. Atqui de cuiusque accidentis essentia est, in subiecto inhaerentia subsistere. Ergo nullum accidens potest absque subiecto inhaerentia subsistere.

*Scaliger de  
subsistit.  
Exercic. x.*

Minor

Minor probatur, primum à definitione Accidentis in genere, pro eo quod non est substantia accepti, qua dicitur esse ens, in subiecto inhaerentia subsistens. Deinde ab autoritate Aristotelis, qui in Antepredicamentis accidens, tam vniuersale quàm singulare, dicit esse in subiecto. Et ibidem esse in subiecto dicit id, quod non est pars illius, minime tamen potest subsistere absque eo, in quo est.

3. Si quoddam accidens potest absque subiecto inhaerentia subsistere, sequitur primum, Accidens quoddam posse esse substantiam. Quia absque subiecto inhaerentia subsistere, est differentia specifica substantia, qua discernitur ab accidente. Deinde quoddam accidens posse esse absque differentia seu forma specifica, à qua constituitur, & à substantia discernitur. Quia illa est, in subiecto inhaerentia subsistere. Sed consequens est absurdum. Ergo absurda etiam est hypothesis ex qua inferitur.

IV.

Neque obstat, quòd duplicem inhaerentiam accidentis in subiecto fingunt Scholastici. Vnam potentialè, alterà actua-  
*Thomas in  
iii. part. 5.  
T. 9. 77. ar.  
& c.  
laucellus in  
lib. 7. Me-  
taph. q. 6.*

V.

Similiter quando exemplum afferunt de Mathematico, qui considerat quantitatem per abstractionem ipsius ab omni subiecto, id tantum abest, vt sententia ipsorum absurdissima patrocinetur, vt potius aduersari videatur. Tunc enim Mathematicus dicitur abstrahere quantitatem à subiecto, in quo per se & ἀχρηστος inest quando illam, non vt affectionem propriam corporis, sed vt subiectum, de quo alia affectiones demonstrari possunt, considerat, non verò quatenus eam ab omni subiecto inhaerentia separatam contempletur.

VI.

Alterà quaestio est, utrum vllum accidens possit egredi è suo subiecto, & migrare in aliud numero aut specie distinctum.

C 2



*Thomas in 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup> part. 3<sup>a</sup>.* In hac approbamus sententiam vniuersalem negantem, propter sequentes rationes.

7. Q. 77. art. 1.

*Zabarella libro de Gen. & inter. cap. 7.*

*Thomas ibid. art. 8. lib. de longitudo. & breuit. 6<sup>ta</sup> cap.*

1. Quicquid in eo subiecto, in quo generatur, semper existit, & tandem etiam si corrumpatur, cum eo corrumpitur, illud non potest egredi ex illo, & migrare in aliud. Atqui Omne accidens in eo subiecto, in quo generatur semper existit, & tandem etiam, si corrumpatur, cum eo corrumpitur. Vnde Aristoteles inquit: Corruptis animalibus corrumpi etiam scientiam & sanitatem animalium. Et addit, si anima esset in corpore tanquam in subiecto, illam etiam corrupto corpore corrumpi.

Ergo nullum accidens potest egredi è suo subiecto, & migrare in aliud.

2. Si accidens potest egredi è suo subiecto, & migrare in aliud, sequitur illud posse per se moueri localiter, à termino à quo ad terminum ad quem: Et quatenus est in illo motu locali, posse absque subiecto inhaerentiae subsistere. Sed consequens est falsum & absurdum. Quia quicquid per se localiter potest moueri, & absque subiecto inhaerentiae subsistere, illud est substantia. Ergo falsum etiam est antecedens.

3. Si nulla forma substantialis potest ex vno corpore organico egredi, & migrare in aliud numero aut specie distinctum corpus: sequitur etiam nullam formam accidentalem posse è suo subiecto egredi, & migrare in aliud. Quia verisimilius hoc de forma substantiali, quae per se subsistit, quam de de accidentali quae non per se subsistit, pronuntiatur. Sed verum est antecedens, nisi quis *μετεμύχουσι* Pythagoricam velit defendere. Ergo etiam consequens.

## VIII.

Quod autem obijciuntur nobis exempla Solis, radios suos per aerem in terram vsque emittentis; & rosae, odorem ex se expirantis; & pestis ex vno corpore migrantis in aliud: Illa dico sententiam nostram planè non impugnare. Quia Sol dicitur radios suos ex se dimittere per aerem in terram, quando producit aliud lumen, velut suae propriae lucis simulacrum, in aere: Et rosa dicitur ex se expirare odorem, quando aut alium numero odorem, suo similem, in aere generat; aut cum halitibus, in quos humor ipsius resoluitur, odorem per aerem ad nates

nates transmittit: Et pestis dicitur ex vno corpore migrare in aliud, quando venenum per aerem ex vno loco in alium mouetur, atque ita inficit corpus.

## IX.

Tertia quaestio est, Vtrum vnum numero accidens possit esse simul in diuersis numero subiectis?

## X.

In hac tuemur sententiam negantem his argumentis.

1. Quicquid in diuersis numero subiectis neque eodem, neque diuerso tempore, potest generari, id non potest simul esse in diuersis numero subiectis. Atqui vnum numero accidens neque eodem, neque diuerso tempore, potest in diuersis numero subiectis generari. Ergo vnum numero accidens non potest simul esse in diuersis numero subiectis.

2. Quicquid vnitatem & pluralitatem suam à subiecto accipit, id non potest vnum numero esse in diuersis numero subiectis. Atqui omne accidens vnitatem & pluralitatem suam accipit à subiecto. Quia illud accidens dicitur vnum numero, quod est in vno tantum numero subiecto. Et contra illud accidens dicitur esse diuersum numero, quod est in diuerso numero subiecto. Ergo nullum accidens vnum numero, potest esse in diuersis numero subiectis. Aut si quoddam potest, sequitur vnum numero accidens, non esse vnum numero. Quia quicquid in diuersis numero subiectis subsistit, illud non est vnum numero: Sed consequens est absurdum, & implicat contradictionem. Ergo absurdum etiam est antecedens.

3. Quicquid est incommunicabile, id non potest esse in diuersis numero subiectis. Atqui vnum numero accidens est incommunicabile. Ergo vnum numero accidens non potest esse in diuersis numero subiectis.

4. Si vna numero substantia creata non potest esse simul in diuersis numero locis sequitur, neque vnum numero accidens posse esse in diuersis numero subiectis. Sed verum prius. Ergo & posterius.

## XI.

Licet enim vulgò Sol dicatur suam lucem communicare aeri, ignis suum calorem aquae, vel ferro ignito, præceptor suam doctrinam discipulo: tamen sensus illorum non est,

*Thomas in 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup> part. 3<sup>a</sup>. 7. Q. 77. art. 1.*

quasi eadem numero lux sit in sole, & in aere; idem numero calor in igne, aqua, & ferro ignito; eadem numero doctrina in præceptore & discipulo: sed quod Sol aliam numero lucem in aere, ignis aliam numero calorem in aqua, & ferro ignito; præceptor aliam numero doctrinam, in discipulo producat.

XII.

Maneat igitur ratum & firmum; Vnum numero accidens, non posse esse nisi in vno numero subiecto, ὅπερ ἐστὶ δὲ ξα.



*Aristoteles lib. 1. φυσ. cap. 2. & 3.*

Ἐνὸς ἀτόπου δοθέντ' ἄλλα συμβαίνει.

*Idem lib. de Sensu & Sensili. cap. 4.*

Διὰν ἐυσύνολον τὸ ψεύδ'.

Ende

teria, nimirum principia prima, quæ si negat præfractè verbis, aut dubitat de iisdem in animo, vocatur tunc in specie atheus *speculativus* seu *Theoreticus*, quemadmodum huc referri potest *Flacius Illyricus part. 1. Clavis. Ser. Wendelinus lib. 1. Theol. Christ. c. 1. §. 2.* qui notitiam quidem acqvisitam de Deo concedebant; insitam v. negabant, & non pauci ex gentilibus, quorum nonnullos adducit *Stevogius in dissert. Acad. II. Tb. 7. seqq.* sit v. ipsa negat factis, practicus erit, quales fuerunt Nero &c. (2) *forma, quæ honorantia non pura negationis, sed prava dispositione, & affectus & malitia voluntatis contra principia omne rectæ rationis dictam, ut & intellectus tandem eud suadet. Hinc solenn*

367  
Anf.

*a sequor,*  
omo in peccatis, nec Deū  
e affirmans. Talis non mo-  
ones aut minas: agrè ista  
impunitè per omnia scele-  
is deceptores & fabulatores  
unt dispositionem, ut se vera  
quàm maximè mentiuntur.  
amdiu duret, quamdiu soporata  
Deos iste nullum divinitatis sen-  
cit. p. 16. Tandem datur etiam  
lex esse potest, alter *intentionis*, se-  
e intendit ad Deos, atq; sine ullo me-  
tu aut formidine scelus quodvis committere; alter *executionis* ut  
proximo damnum inferat & pro lubitu in alios impunè grati-  
fari queat.

§. 33. Subnecti deniq; hic posset atheismi distinctio v. g. in  
*totalem*, quâ quis negat in totum esse DEUM, partim contra noti-  
tiam insitam, quam inficiatur prorsus; partim contra notitiam  
acqvisitam, quam negligit, nec ut acqvirat incumbit; & *partia-*  
*le*, quod tantum unum atq; alterum attributum negatur v. g. Si quis  
Deo omniscientiâ, vel omnipotentiam velit detractam. Verùm  
cum ista intellectu facilia, quin aliquantisper jam explicata, ad  
finem properamus, & divino Numini pro benignâ sui re-  
velatione decantamus laudes & gratiarum actio-  
nes in seculum!

Jehovâ Fortunante,  
Et Amplissimâ Facultate Philosophicâ  
suffragante,

16

DISPUTATIO LOGICA  
DE  
CIRCULO SO-  
PHISTICO

IN  
Celeberrima Academia  
LIPSIENSI,  
PRO LOCO

MORE MAIORUM  
In Inclita Eadem Facultate obtinendo,  
Priori Censuræ  
A

M. GEORGIO LANI  
Exule - Hungaro  
subjecta,

h. III. 2827

Anno Domini 1677. Die 17. Nov.



LIPSIÆ,  
Typis Krügerianis.